Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31284
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

rent adversus quatuor qui et terga
verterunt et ceciderunt plurimi et qui
remanserant fugierunt ad montes
Tulerunt autem victores omnem substanciam
eorum et ecce unus qui evaserat nun-
ciavit hoc abram hebreo vel trans-
fluviali quia de trans eufraten ve-
nerat. Qui numeravit expeditos
vernaculos suos trecentos decem et
octo et tres predictos fratres manbre
anel et escol et secutus est eos usque
dan qui est unus de fontibus iorda-
nis et ab eo opidum dan dictum est quod
nunc paneos dicitur alter enim ior dicitur
quibus in unum federatis iordanis dicitur
et irruit super eos nocte divisis so-
ciis in tres turmas dormientes tru-
cidavit vigilantes propter ebrietatem
pugnare non valentes fugierunt et per-
secutus est eos usque oba que est ad le-
vam damasci et reduxit loth mu-
lieres quoque et populum omnem et substanciam
eorum. Occurrit autem ei rex sodomorum
ad locum qui dicitur vallis regia in via
solime civitatis vel salem que post
ierosolima dicta est. At vero melchi-
sedech rex salem obtulit ei panem
et vinum quod quasi exponens iosephus
ait ministravit exenia id est fercu-
la peregrinis preposita et multam habun-
danciam rerum oportunarum simul ex-
hibuit et super epulas benedixit deus
qui abre subdiderat inimicos. Erat enim
sacerdos dei altissimi cui abram de-
cimas dedit ex omnibus spoliis et tunc
primum decime leguntur date primicie
vero ab abel. Et ait ad eum rex sodo-
morum Da michi animas cetera tolle tibi.
et noluit abram etiam minimum
quid tollere exceptis que co-
mederant iuvenes et partibus
virorum qui venerant cum eo.

Josephus in fine libri sui ait potentissimus
cananeorum qui lingua patria iustus rex appel-
latus est primus deo sacerdocium
exhibuit et fanum edificavit et urbem
quam ierosolimam dixit cum ante solima
vocaretur thananeis post inde expulsis primus
iudeorum in ea leobius hunc regnavit.

melchisedech aiunt ebrei fuisse sem
filium noe et vixisse usque ad ysaac et
omnes primogenitos a noe usque ad a-
aron sacerdotes fuisse qui in convi-
viis et oblacionibus populo benedicebat
et habebant primogenita de quibus
post explicabit.

De ortu iubilei

Ab hac victoria tradunt iubi-
leum inicium habuisse pro hac
remissione captivorum. Iobel
enim remissio vel inicium inde iubileus
id est remissivus vel inicians. Ob hoc
autem institutus est quinquagesimus
quia tunc erat loth ut dicunt quidam
quinquaginta annorum vel tunc erat
quinquagesimus annus ex quo dominus lo-
cutus erat abre in via vel ex quo
egressus est de aram vel abram pe-
ritus erat astrorum in quibus etiam
secundum quosdam zoroastrem magice ar-
tis inventorem instituit et noverat
quod in temperies aeris que fit ex
elevatis vel depressis planetis semper
usque ad quinquaginta annos ad tem-
periem redeunt et quod vidit fieri in a-
stris voluit imitari in terris.

De sacrificio abrahe post promissionem heredis

His transactis locutus est
dominus ad abram. Protector
tuus sum et merces tua magna
nimis. Et dixit abram Quid da-
bis michi? Ego vado absque liberis. Et
damascus filius eleaser procurato-
ris mei erit heres meus quasi di-

Marginalia: captivos et loth et substanciam eius; coniunctis; ierusalem; exenium. Exenia sunt parva munuscula; charra; al. eliezer